www.e-rara.ch

De legali studio, Gilberti Cognati Nozereni epistolae

Cousin, Gilbert

Basileae, anno 1560

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-2767

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

b. 2

DE LEGALI STVDIO, GILBERTI COGNATI Nozereni epistolæ. Vna ad Ioan. Metellum: altera ad Anatolium Frontinum

BASILEÆ, ANNO M. D. LX.

GILBERTI COGNATI NOzereni de Legalis studij ratione epistola, ad Ioannem Metellum & Sebastianum Rosarium.

ONVS iam agitur annus, constantes & perpetui amici, quòd intermisso legum studio, cui nunquam sesquiannum totum uacaui ἀτιμάγελος, omnem operam ad Christi disciplinam atq; medicinam contuli. Et tunc quidem ætas nostra (quæ adhuc intra eos annos consistebat, quibus prætor restitutionem in integrum concedit) iudicio carens, quid deligere, quid'ue imitari, aut quomodo deberem despicere, nondum permittebat. Itaq; frustra uidemini à me uiam petere, quæ mihi ipsi nunquam perspecta cognitá ue satis fuit. Ne tamen ab amici officio discedere omnino uidear, quid sentiam, quamq; rationẽ olim sequutus sim, paucis aperiam. Vbi enim ad ius discendum adijcere animum cœpi, offensus nonnihil barbarie impolitieq; eorum, quos tamen uidebam rerum cognoscendarum causa non posse omnino contemni: fortè mihi uenit in mentẽ, ut mecum quod-

dam ſtudendi genus inſtituerã. Nam quum etiam interpretum prolixitas faſtidium mihi moueret, & miram breuitatem, meramq; quandam Latini ſermonis elegantiã in Iuriſconſultis animaduerterem: ex quorum libris Pandectæ ſunt conſarcinatæ, tum quoq; in ueterum Imperatorum conſtitutionibus, qui σύγχρονοι fuêre Iuriſconſultorum, & quorum in legibus ferendis concipiendisq; conſilio & ſtilo utebantur, cepi conſilium, ut quæ in ſcholis audirem, uel quæ legerem præcipue apud Bartolum interpretum λογυφάων, ea tranſferrem in eam rationis formam, qua ueteres illos uſos uidebam. Mouebat me etiam ad hoc inſtitutum perſequẽdum, quod ipſos item Iuriſconſultos feciſſe ex eo colligebam, quòd tanta eſſet in eorum reſponſis æqualitas, ut uideri poſſent omnes in eodem ludo docti: uel ut totæ Pandectæ ab eodem ſcriptæ cenſeri queant, ſi nominum inſcriptiones eſſent ſublatæ. Arguta etiam illa breuitas, oratioq; & ſi non redundans, plena tamẽ, perſpicua, propria, puraq;, maximè mihi legum interpretationi conuenire uidebatur. in qua id tantùm requiritur, ut ratione uel autoritate aliqua legis, quid iuſtum, quid æquum et bonum, quidq; contrà ſit, doceamus. Et hac quidem ratione aliquandiu ſum uſus etiam, cùm Iuſtiniani inſtitutiones mihi legerem, quæq; ad illas ſunt à

diuerſis

diuersis interpretibus annotata, exercitationis gratia breuius puriusq; exprimere, atq; ad Iurisconsultorum stylum reformare conarer. Hic uerò labor in hoc certè mihi profuit, quod commentatione quotidiana stylum aliqua ex parte emendauerim atq; confirmauerim. Tunc igitur superficiem & cutem tantùm intuitus sum, neglecta carne & succo. Nunc uerò, si huic disciplinæ animum rursus applicare uellem, primo anno circa legum contextum tantùm consisterem: postea in uulgarium quorumcunque interpretum commentaria penetrarem: quæ & si barbarè scripta sunt, ad rerum tamen cognitionem explicationemq;, de quibus in iure agitur, plurimũ sanè conferunt, tum in certos quosq; locos, quid de quaq; re apud eos scriptum reperitur, redigerem. Prudentem Vlyssem prædicant poëtæ, multorum hominum mores quod uidit & urbes. Nos eodem modo arbitramur legum intelligentiam ex multorum sedula lectione, & crebra doctorum auditione parari.

Habetis candidissimi amici, quid fecerim, quidq; facturus essem, ad iuris studia animũ contendens. Cæterùm quoniam citra exactam historiarum ueterum cognitionem (uti non parum multi, & quidem maximi nominis interpretes iuris Ciuilis testantur) intelligi non possunt un-

quam iurisconsultorum scripta, maximè ea quæ in titulo de Origine iuris, à Pomponio traduntur, Commentarios in hunc pulcherrimum titulum elegantissimos atq; doctissimos ab Antonio Garrone, uiro linguæ Romanæ candore ac iuris sapientia illustri, olim scriptos, & nuper in Italia repertos, atq; à me tandem non sine magno labore ex autographo descriptos, Ioanni Oporino diligẽtissimo typographo (qui & Græcos & Latinos libros, qua est cùm utriusque literaturæ eruditione singulari præditus, tum elegãtiss. characteribus, instituta ad hoc nuper adeò Officina propria, instructissimus) excudendos, in publicumq; extrudendos dedi: indignum, minimeq; ferendum ratus, hos tam mirè utiles iuris studiosis Commentarios in obscuro tot annis esse, in quibus quàm fieri potest breuissimè & planissimè iuris Ciuilis historia explicatur. Tibi uerò Metelle eruditissime, & tibi Rosari charissime, hos simul inscribere consilium fuit, ut quando uterq; uestrûm certatim de me bene meritus est, & etiamnum bene meretur, uterq; etiam uestrûm simul à me grati animi monumentum & pignus perpetuum accipiat. Dubium enim non est, quin magnum ex his fructum accepturi sitis, & iuuentus quoq; historiarum rudis egregiè iuuari possit. An autem aliquid ad plenum in hunc titulum

ante

ante Garronis nostri cõmentarios scriptum extet, mihi nondum certò cognoscere contigit. Extant eruditißima Vldarici Zasij, magni illius iuris ciuilis ornamenti, præceptoris nostri, Scholia, scio, sed à quindecim annis nata. Iam restat aliud nihil, nisi amicos salutare. Vos igitur magnopere rogo, ut clarißimos senatores, D. Henricum Colinæum, auunculum meum undequaque doctißimum: & D. Ioannem Mauricianum, singulari quoq; doctrina præditum, meis uerbis reuerenter & diligenter salutetis. Renatum item Perrotum, multi nominis & magnæ eruditionis medicum. Tum facite, ut Ioanni & Nicolao Fauchijs, doctoribus omni laude dignißimis, sim commendatißimus. Eadem opera uicißim meo nomine salutem annunciabitis, utriusq; iuris doctoribus, Vauchardo, Chuppino, & Baldo, multis mihi nominibus charißimis. Neq; præteribitis Claudium Lesmæum, à primo ætatis gradu summum amicum meum. Eximio uiro D. Benedicto Marino, Fisci procuratori, scribam siquid erit ocij. Valete bene, candidißimi amici, & uiuite felices.

Ex Nozereto, octauo Calendas Martias,
anno Salutis reparatæ M.
D. XXXVI.

D. GILB. COGNATVS
Anatolio Frontino S.

NOs summo tuo desiderio primo quoque ad reuerendiß. Balmæũ nuncio satisfacie mus, studiumq; omne pollicemur, atque de euentu bene speramus. Sed interim quid te facere uelimus, tuus perscribet patruus. Cognoui præterea ex tuis literis, quod incompertum mihi antehac fuerat, te ad Legum scientiam omne tuum studium conuertisse. Equidem tuum probo consilium, quod relictis Academiæ umbraculis in clamosum forum uelis transfugere: uerùm interim philosophiam nunquam à te posthabendam censeo. Nam iuris scientiam eiusmodi esse opinor, quæ cùm nostræ regionis homines maximè deceat, tum philosophiæ & eloquentiæ adminiculo potius sit, quàm impedimento. Nullum est enim disciplinæ genus alienũ à philosophia, præsertim id quod ad leges & instituta maiorũ pertinet. Quum turpe sit unicuiq; homini, nedum philosopho, ignorare quibus legibus sit uiuendum. Neq; existimo id studij te totum usque adeò occupaturum, ut suam partem cæteris non relinquas. Est enim parui negotij res, & quæ paucis contineatur, modò cum frugalitate prudentiaq;

tiaq; tractetur: atq; in primis non ad quæstum, sed ad communem hominum utilitatem dirigatur. Nam eorum, qui primi leges condiderunt, non id propositum fuit, ut lites ex litibus sererent, sed ut eas tollerent, paciq; & quieti consulerent publicæ. At postquã in animos Iuriscõsultorum irrepsit auaritia, posthabita legum puritate & planitie, omnia quæstiunculis inuolui et implicari cœpta sunt. Hinc uariæ atq; interdum contrariæ legum fluxêre interpretationes. Hinc immensa scriptorum uolumina, in omni re, uel apertißima, tenebras offundentium, ut ignara plebs eos tanquã oracula consuleret ac uenerare tur. Sæuijt autem hæc lues non modò in legum disciplinam, sed etiam in Philosophiam, quæ (quod scis) iamdiu contaminata barbarie nihil ferè pristinæ dignitatis agnoscebat. Etenim memini me audire Aristotelem, sine Aristotele profitentes. Quum noui quidam Philosophiæ corruptores omnia suis ineptijs reversissent. At nostra ætate beneficio Græcarum literarum, quæ longo interuallo restitutæ sunt, pristinum in locum restitui cœpit Philosophia. Atq; illi ipsi ueterum Philosophorum contemptores, qui antea in scholis uerbum nullum nisi incultum et barbarum agnoscebant, modò Aristotelem sua lingua scribentem, Græcosq; interpretes lectitare non per-

horrescunt. Vt sperandum sit, pace Galliarum perdurante, breui suum ornatum ac nitorem recuperaturam philosophiam. Quod ut Legum disciplinis eueniat, summa ope nisi sunt Alciatus, Budæus, Viglius, Haloander, Zasius, Balduinus, Iurisconsultorum nostræ ætatis eloquentissimi. Erit profectò is labor tibi homini mitioribus assueto studijs multò maximus. Cui enim urbano uiro non stomachum moueant tot barbara uerba, tot inutiles controuersiæ, tot contrariæ sententiæ, quibus recentiores Iurisconsulti sanctissimas leges fœdarunt, atq; inuoluerũt? At ea qualiacunq; sint, non omnino prætermittenda sunt. Eò enim deducta res est, ut qui de controuersijs iudicant (Heluetios excipio) ea sequantur, eisq; non minus, quàm ipsis legibus deferant. Quare si quis nudam ueterum legum notitiam in iudiciũ afferat, is ab eo, qui controuersum ius nouerit, facilè implicabitur, hærebitq; in omni interrogatione, ac ineptus iudicabitur. Contrà uerò, neglecta Legum simplicitate & æquitate, inania legu leiorum somnia consectari hominis est abutentis ocio, suisq; rationibus male consulentis. Itaq; cautè tibi & suspenso (ut aiunt) gradu, per uepres ac dumos incedendum est. In quo te non parum adiuuabit cognitio Latini sermonis ab Accursiis, Bartolis, & id genus hominibus interdũ

perperàm

perperam accepti, dum puritatem Latinæ uocis, quam in primis ueteres Iuriscõsulti seruarũt, non agnoscentes, sua sibi quiq; monstra confingunt, à quibus infinitæ propè controuersiæ subortæ, difficilem eam scientiam reddiderunt, quæ perpaucis & minimè obscuris literis continebatur. Ad hæc tua illa antiqua philosophiæ studia, & præsertim dialectices magno tibi adminiculo erunt. Omnis enim lex non solũ principis uoluntate, sed etiam ratione munita est, quæ tunc rectè dignoscitur, cùm ex iusticiæ fontibus hauritur, & ab omni sophismatum labe perpurgatur. Hanc igitur studiorum rationẽ ingressus, nec labori nec sumptibus parces ullis, honestũ esse arbitratus hominibus Gallicis non ignorare quid de iure respondeant, sperans q; posse te hac ratione magis prodesse reipub. quàm si perscrutatus fueris, quónam pacto elementa in structura corporum commisceant sese, aut qua ui, & quomodo cœlestes globi circũferantur. Nam cùm ex omnibus rebus humanis nulla sit societate & ciuili cultu præstãtior, eaq; cõseruari non nisi legibus possit, fatebimur maximè ad rẽpublicã pertinere legũ scientiã, si quis ad eum scopũ eam dirigat, ad quem initio suadente natura directa est. Ego autem quantum in ea fuerim assecutus, affir

mare

mare non audeo. Scio me olim Dolæ non multum quidem temporis, sed laboris plurimùm posuisse. Suadebat enim ipsa natura & ætas, uitare omnes ambages, atq; circuitus, & ad ueritatem rectà contendere. Itaq; feci quod nonnulli peregrè proficiscentes facere consueuerunt, qui uerentes, ne sibi uiaticum desit, iter accelerant, uiarumq; longitudinem studio ac diligētia uincunt. Quicquid autem sum consecutus, in promptu semper fuit & futurum est, ad eorum utilitatē, qui mea opera uti uoluerint: quam si omnibus debeo fidelem ad diligentem, cur non debeam eis qui de me benemeriti fuerint? Scripsi fortasse pluribus quàm necesse fuerit de legali studio. Quod autem Io. Surrinus noster mihi salutem adscripserit, est id quidem mihi gratißimum: sed certè multò gratius fuisset, id si sua manu facere maluisset. Tu & illi uicißim meo nomine S. P. dices: & præterea significabis, me non alios conuictores recipere, quàm studiosos: tum communicabis huius ad epistolæ exemplum. Illum quidem ob eius doctrinam singularem, summam denique morum integritatem iampridem amo. Gesnero uerò rescribo, simulq; subulonum tria capitalia cornua mitto. Cura ut per Petrum Mechlinienſem Tigurum statim mittantur. Hero

autem

autem tuo & uxori eius commendari cupio:
amicis porrò omnibus: in primis D.
Cælio S. & Gilberto Caffo
S.P. Nozerethi, cal.
Aprilis. 1560.

Gilbertus Cognatus tuus.